

cum breviculis Argumentis etiam reliquis Epistolis praefixus, quae decumanum hunc *Codicem* terminant.

III.

R. 1045. Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 271. f. max. per duas columnas magnifice exaratus, literis initiorum partim deauratis, rubro, caeruleoque variatis, cujus possessor fuit a. 1699. *Lemaire de Elcourt auocat du Roy*, ut videtur, *Divione*, est *Pars I.* splendori Operis Biblici *Pentateuchum*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, *IV. Libros Regum*, *Isaiam*, et *Jeremiam* complexa, quibus accedit Particula *Prologi Hieronymiani in Ezechielem*, et *Danielis Prophetia* a v. ult. Cap. IX. usque ad finem. Rubrica princeps est: *In nomine sancte et individue trinitatis Incipit praefatio Sancti ieronimi Presbiteri ad desiderium amicum suum. In pentateuico hoc est in quinque libris Moysi scilicet. Gesti. exodo. leuitico. numero. deuteronomio. qui apud hebreos uocantur bresit. belesmoth. uagebra. uagedabir. addabarim.* Sequitur Elenchus *Capitulorum LXXVII. Geneleos.* Similes Elenchi reliquis etiam Libris praemissi sunt ita, ut *Exodus CLX. Leviticus XCI. Numeri LXXIII. Deuteronomium CLVII.* ejusmodi *Capitula* censent. Interim *Capitulum* numerus hodie receptus rite notatur in margine, et in *Textu* magna litera pi-

eta distinguitur. *Josue* quoque Elenchum *Capitulorum XXXIII. Judices* tantum XVIII. *Primus* et *Secundus Regum* conjunctim XCV. praeferunt. Eadem ratio fuerit *Tertio* et *Quarto*, verum, quod dolendum, exciderunt Membranae a L. II. c. 18. v. 18. ad L. III. c. 2. v. 6. *Prophetae* supra dicti nulla *Capitula* praemittunt, sed *Capitibus* nostris in margine censentur. *Threni* nullo proprio Titulo gaudent; *Baruch* deest. Quae *Codicem* terminant, jam sub principium notavi.

IV.

Pars II. constat *Foll. 207.* Expletur Particula *Prologi Hieronymiani in Ezechielem* superius inchoata. Dein hoc ordine proceditur: *Ezechiel*, *Daniel* et quidem integer, ut adeo nesciam, quid sibi velit Fragmentum P. I. indicatum, XII. *Prophetae minores* ordine consueto, *Libri Salomonis* adjuncta sub finem ejus *Oratione* excerpta e III. *Reg.* c. 8. et II. *Paralip.* c. 6. *Job*, *Tobias*, qui excidit a c. 8. v. 12. et abstulit secum initium L. I. *Paralipomenon* usque ad c. 6. v. 41. Posthaec: *Incipit liber besdre primus.* Ast Apocryphus est ille, quem *Tertium* compellamus, hoc initio: *Et egit Josias pascha in ierusalem &c.* qui praeterea dictione multum ab *Editis*, cujus vel *Versus* ult. exemplum esse possit:

Codex.

Magnifice inspirati sunt enim in verbis, quae didicerant, et coadunati sunt omnes in ierusalem iocundari secundum dispositionem domini dei israhel.

Neque tamen propterea Nostra de Graeco LXX. versa sunt. Graecus enim Textus sistit in καὶ ἐπισυνῆχθησαν, et coadunati vel congregati sunt, et ultra non progreditur; imitantur tamen Graecos, apud quos apocryphus hic Liber *Esdrae Primus* est, genuino Libro *Primo* unacum *Nebemia* ad secundum locum retruso. Finem huic Parti imponunt II. *Machabaeorum Libri*, quorum priori Elenchus *Capitulorum LVI.* praefixus est; posterior vero C. 12. a v. 43. memoriam Defunctorum rite celebrat.

V.

Pars III. numerat *Foll. 134.* complectiturque *Novum Testamentum* hoc ordine: IV. *Evangelia*, *Epistolae Pauli*, *Actus Apostolorum*, *Epistolae Canonicae.* I. *Job.* c. 5. v. 7. sic habetur: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis. Et tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. Et hij tres unum sunt.* Claudit Opus decumanum *Apocalypsis*, cujus 11. ultimas lineas minori laciniae inscriptas *Compactor* inter *fol. 132* et *33.* inseruit,

Edita.

Magnifice enim sunt exaltati verbis, quibus edocti sunt, et congregati sunt universi in Jerusalem celebrare letitiam secundum testamentum Domini Dei Israel.

monente id ad calcem *Gallo* quondam possessore, qui tamen non monuit, plura Folia a me superius indicata excidisse. Ceterum observaverit Lector, praeter *Baruch* etiam huic Bibliothecae Divinae *Psalterium* deesse. Ego vero addo, singulos paene Libros instructos esse Prologis *Hieronymi*, aut aliis illis Argumentis, quibus in Bibliis glossatis praemuniri consuevere.

VI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 305r
XIII. Folior. 340. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, coloribus distinctus, et quondam, ut ad calcem notatum est, *Domus sancti Job. baptiste In Seycz*, quae fuit *Carthusia Styriae inferioris*, est *Pars Prior S. Bibliorum* Versionis vulgatae, *Hieronymi Prologis* et solitis *Argumentis* instructae, et consueto ordine decurrentis usque ad finem *L. Job*, quem, nescio qua ratione factum, excipiunt *D. Pauli Epistolae*, in quibus haec *Pars* terminatur. *Librum Esdrae II.* haec solum modo *Nota miniata* distinguit: *Verba Neemie filij helchie*; et ad ejus calcem: *Explicit liber hesdre.* Igitur